Gymnasium zu Nordhausen 1883.

Zu der

öffentlichen Prüfung

sämtlicher Klassen des Gymnasiums,

welche

am 19. und 20. März gehalten werden soll,

ladet ergebenst ein

der Direktor

Dr. Gustav Grosch.

Inhalt:

NORDHAUSEN,
Druck von C. Kirchner.

1883. Programm № 222.

De G. Plinii Secundi

studiis grammaticis.

Quum illud sit in more positum institutoque scriptorum, ut publicae lucis usuram dum suis lucubrationibus largiuntur, iam usque ab exordio diligenter exponant, quibus potissimum de causis ad illas animum appulerint, non unam fuisse, quae mihi aliis atque aliis occupationibus implicato hoc opus, quale illud cunque sit, aggrediendum persequendumque maximo fuit incitamento eos, qui haec legent, monitos volo. Etenim quum quaestiones grammaticas in libello de G. Julii Caesaris studiis grammaticis inscripto ex adversariis delibatas aliquot annis ante in litteris collocassem publicique iuris fecissem, easque cum Plinianae doctrinae eruditionisque rationibus grammaticis arctissime cohaerere intellexissem, quae de G. Plinio collecta et in schedulis dispersa habebam, eorum in lucem emittendorum cupido sensim sensimque in me excitata est.

Praeterea quum Plinii dubii sermonis qui inscribuntur libros grammaticos ipso auctoris nomine commendatos apud omnes fere, qui post Secundum de rebus grammaticis scripserunt, summo in honore fuisse appareat, eorum fragmina mihi haud secus ob doctrinae dignitatem atque ob maximam pretiosissimarum reliquiarum copiam e reconditioribus vetustissimorum scriptorum thesauris petitam quae cura studioque doctorum virorum colligantur emendentur illustrentur in pristinam dignitatem restituantur digna videntur. Quid ergo pronius mihi fuit, quam, quum hoc proludendi munus mihi esset oblatum, ut dote aliqua litteraria pro more instructi hi annales scholastici prodirent, de Plinio cogitare operaequae nostrae ei deditae specimine proferendo?

Num hoc grammaticorum studiorum genus publici sit saporis dubito — quodsi nulla alia virtute commendabitur haud scio an levidense hoc munusculum quod obtuli aliquam gratiam ipsa sit argumenti opportunitate initurum — sed ita comparatum duco, ut huius disciplinae vis et copia et subtilitas clarissime exsplendescat, „dummodo materia inventa sit et par materiae artifex sollers industrius eaque animi obstinatione, ut vel minutae cuiusdam quaestionis causa viam quamvis molestam non dicam emetiri, sed emensam, si res poscat, remetiri non detrectetur". Neque vereor ne nimiam huiuscemodi studiis vim tribuerim: quae quanti sint facienda haud ita facile mihi persuaserint, qui poeticarum deliciarum voluptate abrepti per latissimos Musarum campos exspatiari malunt quam sicci et sobrii eruditionisque vere humanae expertes recta incedere. Sed haud scio an non gravius esse dicam decantatum illud judicium*) Caecilii Secundi, quem libellos ab avunculo

*) Plin. Ep. III, 5: Dubii sermonis octo scripsit sub Nerone novissimis annis, quum omne studiorum genus paullo liberius et erectius periculosum servitus fecisset. cf. Neum. p. 1.

de arte grammatica editos a liberiore et erectiore studiorum ratione alienos duxisse novimus. At ne omnem eiusmodi studiorum rationem indignam putemus viris summo ingenii acumine praeditis moneut clarissima exempla Appii Claudii*) Q. Ennii G. Lucilii M. Terentii Varronis, monet splendidissimum nomen G. Caesaris. Nimirum quod illi poeticarum deliciarum cupidi docent, jejunam esse eam disciplinam et ab elegantiore doctrina remotissimam, id mihi longe secus videtur. Quid? quod doctissimis viris summo studio summaque cura dignum visum est artium litterarumque tamquam incunabula respicere, per quas intelligendi vias aut cogitandi ambages a primo fonte ad summum evectae sint fastigium, exquirere, quae jam adultae praeclara opera liberalique cura illustrantur, leges omnem linguam regentes, quaecunque pertinent ad originem et formam immensae multitudinis vocum verborumque a paucissimis radicibus per certas definitasque flectendi augendi producendique regulas viamque in omnibus aequabilem perscrutari, singulos, in quos late laeteque succrescens haec arbor se diffundit, ramos et folia percurrere, quomodo et illi et haec cum trunco cohaereant, quid naturae, quid in elaborandis linguis humanae sollertiae deberi videatur, enucleare. Atque egregium sane omnibus disciplinis accessisse adjumentum, postquam linguarum artisque grammaticae historia accuratius fuisset pertractata, nemo forsan dubitaverit. Rideat igitur haec studia alius et in tenuissima doctrina versantis dicat observatiunculas: equidem Democritum, dum tenuissimas fibras scrutaretur, suum Abderitis acumen invidisse haud existimo.

Jam si qui et doctrinae copiam et comptum dicendi genus desiderarint, mihi ut veniam, quae tum tantae temporis subsidiorumque litteratorum parsimoniae tum omni huic litterarum generi concedi solet, concedant eos rogatos velim. Quare etsi non quaesitas esse amoenitatem et varietatem, lectorum lenocinia, probe intelliges, tam spero fore, ut taedium ex hisce minutiis lectorum in animis creatum quodammodo submoveam. De Plinio quamquam viri docti multi multa disputaverunt, nemo tamen exstitit, qui collectis undique veterum scriptorum de nostro testimoniis ejusque reliquiis in unum corpus conjunctis curiosiusque pertractatis justam grammatici nobilissimi imaginem adumbraret. Itaque constitueram hac prooemiandi occasione data de universa Plinianorum studiorum ratione observationes meas annalibus his scholasticis praefigere. Quum autem crescente, ut fit, sub manibus dum elaboratur materia, disputatio, quam exempli causa propositam brevem fore speraveram, sensim sensimqe in integrum librum exiret, operis partem quandam eligendam existimavi, quam virorum doctorum judicio traderem: quo factum est ut quae fusius aliquanto et ad certum rei juste dispositae ordinem adstricta exponere in animo habebam, mutato jam consilio arctioribus finibus pro temporis spatio hujusque libelli ratione circumscribenda essent. Qua in re ne hoc disputationi detrimento sit vereor, quod non integra sit neque omnibus numeris absoluta, sed partis prae se ferat tenuitatem atque conditiones.

Jam quantum hae quaestiones habuerint difficultatis ac laboris, illi utique intellexerint, qui ipsas non raptim, sed attente legent, nec quales post apertam ad sensum viam videantur, sed quales fuerint dum ea delitescebat, diligenter expendent. Accedit vero, quod ex his, quae a nobilissimo doctissimoque grammatico scripta sunt, pauca eaque dissipata et dispersa ad nos pervenerunt. Quae ergo uno obtutu spectanda fuerat totius operis coagmentatio, ex istaque conjunctione emergens ac manifesto deprehendenda ratio et disciplina, eo modo plane evanescunt, quia singula membra in partes diversas locaque dissita disperguntur, divulsis autem nullus amplius superest unius certaeque rationis species. Hoc autem maxime dolendum est, quod ne frusta quidem Plinianae doctrinae

---

*) Pomponius Leg. I, 2. § 36.

integra et ab alienis accessionibus vacua nobis tradita sunt. Etenim tum doctrinae grammaticae Romanorum vetustioris reliquiae quae tulerunt aetatem tam exiguae sunt et tenues et vetustatis situ tam graviter corruptae, ut certas rationes, ad quas referantur, indagare vix possimus, tum primariorum, qui inde ab Augusti aevo floruerunt, grammaticorum doctrinae frustula haud incorrupta ac genuina ad extremam Latinarum litterarum aetatem propagata sunt. Qui enim fragmina illa conservarunt, pristinam compagem pro libri sui consilio ordinem mutantes saepenumero discusserunt neque paucas iis ipsi labes inflixerunt. Nam quum excerpta illa, quae nostris in manibus sunt, facerent, quum ex nobilissimorum grammaticorum commentariis quae maxime ad vulgarem usum apta viderentur deligerent, ea re id effecerunt, ut nec plenum quidquam nec totum quodque certa ratione atque ordine cohaereat habeamus. Ita disjectis et discerptis, quae suo tantum loco posita recte perspici poterant, et aliis omissis, aliis inepte repetitis non solum falsa irrepserunt, sed etiam multa confusis diversis sententiis intextisque recentiorum additamentis turpissime deformata ac miserrime corrupta sunt. Etenim excerptores illi grammaticis, quorum copiis hortulos suos irrigarunt, primariis ita usi sunt, ut res sibi idoneas in prima ut ajunt acie non, ut aequum erat, in secunda ponerent gravioribus doctioribusque neglectis atque posthibitis. Ac tanta saepe est disputandi brevitas, tam perturbatus interdum ordo, ut hoc non errore librarii sed studio excerptoris ea, quae copiosius exposita invenerat, coartantis factum esse videas. Nunc praemonendum est, ut incorrupta nobilissimi grammatici memoria discernatur ab exilibus commentariis et contorto dicendi genere aetatis infimae excerptorum, aliquantulum de ea ratione, qua factum sit, ut graviores dubitandi causas habeamus de quibusdam Plinii fragmentis, quamquam hucusque viros doctos hanc rem non in dubium vocasse probe scimus. Nempe quum appareat, Plinio ab excerptoribus nonnulla tribui, quae ab ejus elocutione prorsus abhorreant, id quod facile puto unumquemque vel leviter inspectis libris intellecturum, multos locos vix integros e Plinio esse translatos verisimile est. Itaque intercedentibus ni fallor pluribus scriptoribus inter nostrum grammaticum et excerptorem infimae aetatis, haud ita facile mihi persuaserint, qui genuina Plinii verba nusquam non legi censuerint. Multa ergo posteriore tempore inventa et cum antiquis praeceptis mixta vel a pristina integritate deflexa adscripto veteris auctoris nomine ut opinor ferebantur. Jam quum tantam Plinii libris grammaticis labem importaverit vetustas, spero equidem in his difficultatibus, quanto facilior lapsus est, tanto mihi sicubi offendero paratiorem apud doctos viros veniam fore. — Jam vero quum nuper multa subsidia nobis redundassent novisque admodum auctus esset incrementis litterarum grammaticarum ambitus emendationis apparatu antehac nequaquam ab omni parte perfecto nunc amplificato via munita est ad Plinianas reliquias exquirendas accuratius atque illustrandas. Maximum vero adjumentum hujuscemodi studiis accessit diligentia et sagacitate Henrici Keilii viri praestantissimi, qui reclusis Latinorum thesauris hucusque reconditis grammaticorum nobis aditum ad hasce quaestiones paravit. Sed haec accuratius persequi longum est et ab hoc loco alienum.

Jam sequitur, ut in id inquiram, quaenam extent de re proposita veterum testimonia: nam veterum potissimum hominum acutissimas sententias quantum fieri potest sub examen esse vocandas quis est qui eat infitias? Ac primo quidem loco afferendum est testimonium ipsius Plinii, quod legitur in nat. hist. praefatione § 28: „Ego plane meis adici posse multa confiteor, nec his solis sed omnibus quae edidi, ut obiter caveam istos Homeromastigas (ita verius dixerim), quoniam audio et Stoicos et Dialecticos, Epicureos quoque (nam de grammaticis semper exspectavi) parturire adversus libellos, quos de grammatica edidi, et subinde abortus facere jam decem annis, cum celerius etiam elephanti pariant; ceu vero nesciam adversus Theophrastum hominem in eloquentia tantum, ut nomen divinum inde invenerit, scripsisse etiam feminam et proverbium inde natum

suspendio arborem eligendi". Non illud nunc agimus, ut hunc Plinii locum, quem vix aut omnino non attigerunt viri docti, explicemus et illustremus, id quod disputationi peculiari erit reservandum, sed ut de ratione temporis, quo libri dubii sermonis — hos enim significare Plinium dum libellos de grammatica editos memorat mihi persuasit Neumann p. 1 [1]) — prodierint quaeramus. Jam superest, ut redeamus ad verba Caecilii Secundi, quibus supra usi sumus, quum praeterea nullum apud veteres sive de tempore, quo libri conscripti sint, sive de omni eorum ratione testimonium exhibeatur quumque ad unum omnia fragmenta ad res singulares spectent et ad hanc quaestionem omnino non pertineant. Quibus curiosius perpensis et annorum rationibus computatis praeeunte Neumann. libros anno LXVII prodiisse concludi potest, qui est annus a Neronis interitu proximus. — Sed priusquam ad ipsam quaestionem accingar, de recentiorum, qui Plinii libris operam dederunt, studiis pauca videntur dicenda esse. De dubii sermonis libris in universum disputaverunt, ut alios omittam [2]) Graefenhan „geschichte der klassischen philologie im alterthum" vol. IV. p. 100 et passim, Laurentius Lersch „die sprachphilosophie der alten" vol. I. p. 150. II. p. 157, qui etiam fragmenta collecta vol. I. p. 179 sqq. exhibet, Gustavus Detlefsen „zur flexionslehre des ältern Plinius" in symbol. philol. Bonnens. p. 697 sqq. Quae doctissimis eorum commentariis debeam suo loco indicabo. In iis vero, quae mihi proposueram, exequendis tres potissimum auctores secutus sum, quos quum non singulis locis sed paene toto opere adhibuerim, non in ipsa commentatione identidem laudari, sed hic commemorari oportet. Ac primo quidem loco laudandus est Alf. Schottmüller „de C. Plinii Secundi libris grammaticis part. I", qui tamen opus inchoatum non perfecit, id quod eo magis dolendum est, quo quanti ad hujuscemodi quaestiones grammaticas et instituendas et persequendas fuerit momenti vix dici potest. Tum inspiciendus erat liber Guilelmi Brambach, recentiore aetate de ornandis emaculandisque Plinii fragminibus post Schottmüllerum optime meriti „die neugestaltung der lateinischen orthographie in ihrem verhältniss zur schule" p. 37 sqq. et alias. Tertius est Hermannus Neumann, qui libello „de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus" inscripto (dissert. Kiliensi a. 1881) semitam a Schottmüllero monstratam dilatavit. Praeterea inter subsidia, quae enodandis Plinii reliquiis passim adhibuimus, nominanda est docta dissertatio Wilmannsii de Varronis libris grammaticis.

Restat, ut de Felsii („zur orthographie im Plinius" Philol. vol. XIV) et Detlefseni l. l. observationibus ad praecepta a Plinio data illustranda atque probanda institutis dicam. Atque de eo ut recte judicetur, monendum est ad hanc quaestionem de Plinii regulis ab ipso in libris naturalis historiae observatis vel neglectis disceptandam quum optimis codicibus mutilatis et mancis tum manuscriptis inferioris aetatis librariorum negligentia corruptis et immutatis vix tantum tribui posse, ut ex his subtiliores scribendi rationes enucleare conemur.

Rationem et argumentum totius operis [3]) si accuratius exponere velimus, longius nobis evagandum atque excedendum erit. Rectius enim ac distinctius de Plinio consilio et ratione judicabimus, si curiosius qua conditione fuerint tum ante Plinii tempora studia grammatica tum nostri aetate in memoriam revocaverimus. Quum diu multumque certatum esset inter Graecos et grammaticos et philosophos, utrum in sermone Graeco rationis sive analogiae necessitas an consuetudinis

[1]) Praeeunte Schottmüllero l. l. p. 1 sqq.

[2]) Quos enumerat Schottmüll. p. 2 i. annot.

[3]) Videsis quae de inscriptione librorum satis copiose disputavit Schottmüll. l. l. p. 6 sqq.; jam vero cur libellos sic inscripserit Plinius alio loco quum eo perventum sit disputationis, ut ea quaestio ultro nobis se offerat, exquirere liceat.

sive anomaliae licentia valeret, ea controversia Romam translata ducibus Cratete[1]) et Didymo[2]) primo quidem G. Julii Caesaris auctoritate factum est, ut a viris sermonis latini studiosis analogiae palma concederetur. Tum Varronis viri inter omnes Romanos doctissimi doctrina vigere coepit. Qui etsi[3]) analogiae summam, tamen consuetudini aliquantum concedendum esse censuit. Quam rationem ut tueretur, subtiliore definiendi modo usus est, ita ut inter „analogiam, quam sequitur populus" et quam „singuli e populo" sequuntur, inter consuetudinem vero „qua antiqui usi sunt" et „qua nunc utimur", denique „qua poetae utuntur" discerneret. In libris de „sermone latino" Varronem a diversa ratione profectum esse apparet: namque eo processit, ut anologiae praeter consuetudinem opponeret auctoritatem i. e. veterum usum loquendi vel scribendi, quae in libris de l. l. nusquam occurrit[4]). „Constat ergo latinus sermo natura analogia consuetudine auctoritate"[5]).

Haec igitur quatuor sermonis latini fundamenta jecisse videtur M. Terentius, ut, quae cum hisce consentirent, sequenda, quae horum uni repugnarent, rejicienda essent puri elegantisque sermonis studiosis. Quo principia in medio proposita diligentius examinaret et singula, quae ex his pendere intellexerat, curiosius persequeretur, satis amplam verborum silvam coliectam adhibuit[6]). Rediit sic quodammodo ad ista Alexandrinorum et Pergamenorum grammaticorum studia: qui quum arti criticae operam navarent et hoc potissimum spectarent, ut de poetarum praestantia et de singulis eorum locis sive genuinis sive suppositiciis judicia facerent, non modo omne carminum genus dedita opera percensebant, sed etiam causas, quae ad linguam conformandam valerent, legesque sermonis diligentissime exquirebant. Quaestionum singularum copia eaque uberrima tum in poetarum commentariis tum in peculiaribus commentatiunculis perscriptarum sensim sensimque coacervata factum est, ut amplissimus observationum grammaticarum thesaurus viris praesto esset hujus artis studiosis: qua in re etsi Varronis et Romanorum, qui post eum floruerunt, grammaticorum studia non tam late patuerunt quam Graecorum hominum, tamen M. Terentium virum inter cives suos *πολυγραφώτατον* horum diligentiam et assiduitatem aequasse quis est qui neget? Ad consilium ac rationem Alexandrinorum etiam propius accesserunt studia M. Valerii Probi Berytii[7]) nobilissimi grammatici, quem „multa exemplaria contracta emendare ac distinguere et annotare curavisse" hincque natam esse „non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui" testatur Suetonius[8]). Haec fere de omni Plinianorum librorum ratione praefari in animo habui, ut quam late patuerit illa et quomodo cum vetustiorum litteratorum disciplina connexa fuerit a fundamentis perspici posset. Jam vero quum nondum omnia, quae ad eam recte existimandam permagni fore momenti speraveram, exhausta esse intellexissem, antequam ad opus ipsum accingerer, brevi quid ad latinam linguam conformandam atque excolendam singulorum grammaticorum valuerit ars et doctrina exponere in animum induxi[9]). Quum inde ab antiquissimis temporibus studia Romanorum

---

[1]) Cf. Sueton. de ill. grammat. c. 2.

[2]) Priscian. p. 408 H.

[3]) Varro de l. l. VIII. p. 126 (Bip.): Consuetudo et analogia conjunctiores inter se, quam hi credunt, quod est nata ex quadam consuetudine analogia. VII. p. 109: Quum, ut ego arbitror, utrumque sit nobis sequendum. IX. p. 177: consuetudine sermonis veritati analogiae posthabita a grammaticis,

[4]) Cf. Wilman. l. l. p. 80. [5]) Cf. Diomedes p. 439 K. Charis. p. 50 K.

[6]) Quem in finem hexades singulas libri de l. l. in triades divisit, quarum prima leges generales, altera copiam verborum percenseret. Wilman. p. 12.

[7]) De Probo conferas, quae H. Keilius disputavit in Symb. philol. Bonnens. p. 93 sqq. et in praefatione primi voluminis gramm. Lat. p. LI sqq. et in praefat. quarti vol. p. XVI sqq.

[8]) Suet. Vita Probi.

[9]) Cf. Büchelsr de Ti. Claudio Caesare grammatico p. 1 et l. l. de G. Julio Caesare grammatico p. 1.

hinc essent profecta, quod usus loquendi scribendique satis inconstans et varius certas normas regulasque desiderabat atque efflagitabat, grammaticorum alius alia invenit ac novavit, ut inconstantiae finem facerent. Verum tantummodo pauca tum litteratorum tum imperatorum inventa permanserunt, quum ne Caesare quidem excepto ea potissimum auctoritate sustinerentur, quam studiis artium et doctrina sibi constituerant, sed vix singulis viris gravitate pollentibus contigit, ut si qua novabant ea more recepta inveterascerent. Quid? quod ne Augustea quidem aetate lingua latina ad summam perfectionem perducta mira illa inconstantia e medio est sublata. Ac profecto si omnes puri sermonis studiosi eadem propositi constantia qua G. Julius Caesar voces varias dubiasque ad analogiae rationem revocassent, brevi tempore certae normae ac virorum eruditorum consensui palmam fuisse concedendam quis est qui neget? Verum enimvero tantum abfuit, ut viri auctoritate et gravitate pollentes, in quibus primus est nominandus Cicero [1]), sermoni certis distinctisque regulis circumscribendo operam darent, ut consuetudini communi et aurium suavitati omnia fere tribuerent. Itaque fieri non potuit, quin auctoritate nobilissimorum grammaticorum temporis decursu paullatim debilitata et scriptoribus tum gravitate tum vetustate tum novitate insignitis sibi invicem repugnantibus nimia inaequalitas reviviisceret et studia illa, de quibus diximus, ad stabiles firmasque linguae leges constituendas nihil omnino viderentur valuisse. Jam quum Plinius hasce quaestiones tractandas sibi sumpsisset, priorum grammaticorum inprimis Caessaris et Varronis praecepta eum curiosius indagasse consentaneum est. Sic facile est intellectu, qui factum sit, ut varietas et inconstantia, quam in sagacissimorum et doctissimorum virorum praeceptis mirum ni deprehenderat, valeret ad summae tum diligentiae tum circumspectionis in quaestionibus instituendis commendationem.

Etenim quum tres viae, quas supra significavimus, fuerint apertae grammaticis, quibus insistentes artem ad summam perfectionem possint perducere, quarum primam monstraverant philosophi Graeci, alteram poeticae elegantiae existimatores Graecis litteris imbuti, tertiam Romani omni doctrina communisque usus studio insigniti, qua potissimum progressus sit noster videamus. Jam ut vicissitudines grammaticorum atque interiores Plinianorum studiorum rationes diligenter perpendamus, ad eum ordinem nos referemus, quo Plinium in nat. hist. praefatione de studiis suis disserentem usum esse videmus, quo confidentius ipso Plinio duce quaenam illae fuerint extricare conemur. Ac certo quidem gravissima summi viri opera ratione et consilio quodammodo inter se cohaerent, ut Schottmüll. [2]) dissertatiunculis (§ 15, 16) e praefatione nat. hist. desumptis apertissime, quo consilio usus sit, demonstrari censuerit. Ut facilius primo statim adspectu, quomodo haec sint accipienda cognoscas, non piguit verba huc describere: [§ 13 et 14] iter est non trita auctoribus via nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos, qui idem temptaverit, nemo apud Graecos, qui unus omnia ea tractaverit. Magna pars studiorum amoenitates quaerimus; quae vero tractata ab aliis dicuntur immensae subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. Jam omnia attingenda, quae Graeci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, et tamen ignota aut incerta ingeniis facta, alia vero ita multis prodita ut in fastidium sint adducta. Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia, nobis itaque etiam non assecutis, voluisse abunde pulchrum atque magnificum est“. Ex quibus ea, quae prorsus ab hac quaestione removenda sunt, omittamus, reliquis in usum nostrum conversis Plinio duce ad

---

[1]) Cf. Orator. § 157: Scripserunt esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. § 139: Voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Gell. XIII. 19.

[2]) Videsis Schottmüll. l. l. p. 41.

rem propositam accedamus. Viis priorum grammaticorum opera patefactis, quas tres fuisse modo demonstravimus, ita institisse Plinium apparet, ut quum aliam inisset, ex alia decedere nollet et tertiae se committere non dubitaret: itaque viam a Plinio institutam non tritam auctoribus recte dici posse quis est qui eat infitias? Connexuit sic et conjunxit diversas priorum grammaticorum rationes viasque: id quod neminem ante Plinium fecisse satis luculenter poterit ostendi, si viros artis grammaticae studiosos diligentius percensuerimus. Ac ne Varronis quidem studia tam late patuisse quum ex ejus libris, qui tulerunt aetatem, et ex deperditorum fragmentis tum ex omni Varronianae aetatis conditione ac ratione elucet aut Probi — de quo videas, quae supra disseruimus — commentariis tantum tribui posse consentaneum est. Etenim quae de omni eruditissimi grammatici librorum ratione sagacissime exposuit Henricus Keilius l. l., etsi mihi quidem verisimillima sunt visa, tamen non mirum ni eo spectant, ut illum placitis philosophorum in medio propositis de rebus grammaticis quaesivisse judicemus. Nimirum ut quale fuerit consilium unius alteriusve operis quantusque ambitus plane percipiamus, reliquiae nobis servatae eaeque vix integrae ita non sufficiunt, ut multa prorsus divinationi relinquantur: id quod non modo ad Romanorum libros, sed etiam ad Graecorum pertinet. Jam vero quum Graeci — quantum ex horum doctrinae frustis, quae aetatem tulerunt, colligere licet — aut diligenti poetarum lectioni aut subtilioribus philosophandi rationibus dediti tum, ut qui scriptoribus inprimis poetis operam navarent, omnes voces difficiliores rarioresque et interpretatione egentes collectas haberent, efficere studerent [1]) tum ut in interiores linguae inquirerent rationes spectarent, de communi usu aut omnino non aut inferiore demum aetate cogitaverunt [2]). Ut vero recte de his Hellenistarum studiis judicetur, monendum est Graeculos sermonis utilitatis studiosos ad usum loquendi conformandum et corrigendum non usos esse copia verborum exemplorumque collecta atque collata, sed in prima ut ajunt acie posuisse analogiam [3]). Sic alius in alio versatus est argumento quavis in quaestione modo has modo illas disciplinae partes tractandas sibi eligens. Jam quae fuerit propria ac peculiaris Plinianorum studiorum ratio, haud ita difficile est intellectu: pendet enim praecipue ex consilii rerumque quas „attingendas“ censuit amplitudine atque disciplinae circuitu; nam quemadmodum rationes viasque ab aliis grammaticis seorsum initas connexas dilatavit ductus ut opinor integritatis studio perfectioris, ita procul dubio dubii sermonis libri summum prae se ferunt largissimae ubertatis et integrae fere amplitudinis studium, quantumcunque ratio argumenti, in quo noster versatus est, postulabat. Jam quantopere in eo, ut opus unumquodque integrum sit atque expletum omnibus suis numeris et partibus, elaboraverit Plinius, diserta ipsius verba quum naturalis historiae tum dubii sermonis librorum rationem defendentis luculentissime ostendunt. (Praefat. nat. hist. § 17, 18, 28.) Ac profecto non est quod virum eruditissimum et diligentia [4]) excellentissimum omnia ea, quae sibi proposuit, absolvisse et quantum per aetatis illius conditionem subsidiorum litteratorum, quorum copia nunc abundamus, parcissimae licuit exhausisse negemus: quare quamquam vel in uberrimis veterum thesauris mirum quantum desideretur recte monet Gustavus Detlefsen (l. l. p. 697), neque causam esse video cur hoc a Plinianorum studiorum ratione alienum ducam, tamen quum id in omni veterum grammaticae indole sit positum Plinio vitio dari nequit, neque accuratius de ea re quaerere multum interest.

---

[1]) Cf. Rankius de lex. Hesychiani origine p. 126.

[2]) Apoll. de synt. I. 10: ἡ εὐχρηστία τῆς κατὰ τὸν ἑλληνισμὸν παραδόσεως κατορθοῦσα ... τήν τε ἀνὰ χεῖρα ὁμιλίαν.

[3]) Schol. ad Dionys. Thrac. ap. Fabric. ad Sext. Empir. p. 254.

[4]) Plin. Epist. III. 5. 8.

Jam vero quum ipse noster liberrime multa se praeteriisse confiteatur, hanc rem ad summae circumspectionis et verecundiae laudem valere arbitror.

Quam late Plinii studia in naturali historia collocata patuerint, tum ex praefationis loco, quem huc describam[1]), tum ex indice rerum et auctorum ab ipso Plinio conscripto, qui integrum librum explet, intelligere licet: jam etsi dubii sermonis libros tot tantisque copiis, quibus opus illud diffusum abundabat, affluxisse non est quod existimemus, verum tamen eos in thesauro observationum et exemplorum satis copioso largoque condendo esse versatos frusta, quae ad nos pervenerunt, luculentissime ostendunt[2]). Etenim ut in leges et rationes latinae linguae grammaticas dedita opera inquireret et diligenti studio firmum sibi praesidium pararet ad hujuscemodi quaestiones disceptandas, tum plurimos scriptores rerum oratores poetas inde ab antiquissima aetate pervestigavit tum omnium fere grammaticorum ac litteratorum, qui rebus grammaticis operam navarunt, praecepta sub examen vocavit. Ac temporum injuriam quominus libri hac aetate legerentur offecisse eo magis dolendum est, quo quanti ad historiam grammaticae latinae penitius pertractandam fuerint momenti hinc colligere licet, quod permulta eaque gravissima vetustiorum grammaticorum praecepta soli Plinio debentur[3]) Quid? quod omnino omnia, quae de quibusdam grammaticis comperta habemus, hausta sunt e Plinio[4]). Rebus sic se habentibus ab hoc loco haud alienum videtur eos quorum libris grammaticis percensendis atque examinandis Plinium operam navasse constat enumerare. Ac primo quidem loco nominandus est G. Lucilius poeta, cujus satirarum libros, inprimis nonum de rebus grammaticis agentem in censum vocavit cf. Charis. p. 78 K. et quae de Plinii opera Lucilio data paullo infra disputabimus. Tum Aelii Stilonis[5]) Varronis magistri doctissimos commentarios nec non Aurelii Opilii[6]) „Musas“ in usum suum convertisse videtur. Num Santrae grammatico, quem de „Verborum antiquitate“ scripsisse constat (cf. Lersch I. p. 111), operam navaverit noster, incertum est, quum illius nomen e mera conjectura fluxisse appareat cf. Keil. ad Charis. p. 139. L. Cornelii Sisennae Plautinarum comoediarum commentarios perlustrasse et singula praecepta sibi idonea ex eis delibasse videtur Secundus[7]). Porro Caesaris de analogia libros diligentissime adhibuit, id quod ex eo elucet, quod non modo Charisium, apud quem decem fragmina Caesaris extant, sed etiam omnino omnes inferioris aetatis grammaticos nobilissimi viri doctrinam debere Plinio consentaneum est[8]). Jam ut ad Varronem transeam, apud Charisium tam frequenter inter Pliniana frusta collocata inveniuntur Varroniana, ut Wilmannsius praeeunte Jahnio[9]) omnes Charisiani capitis XVII locos, quibus de l. l. librorum facta est mentio, e Plinio haustos esse censuerit[10]). Atque omnino nostrum Varronis praecepta diligentissime indagasse et quae

---

[1]) § 17: „viginti milia rerum dignarum cura (quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros oportet esse, non libros) lectione voluminum circiter duum milium, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter secretum materiae“ . .

[2]) Cf. Detlefsen. l. l. p. 697.

[3]) Gramm. Lat. ed. K. V. p. 318. Wilman. l. l. p. 31 sqq. p. 151. Schottmüll. l. l. p. 40.

[4]) Videsis Neum. p. 32.

[5]) Charis. p. 84. 129. 130 K. Schottmüll. l. l. p. 21. 39. Gell. N. A. XVI. 8. Varro d. l. l. VI. p. 80. (Bip.)

[6]) Charis. p. 84. 128. K. Schottmüll. l. l. Gell. N. A. I. 25. Suet. de ill. gr. c. 6. Praeterea Aurelii nomen legitur apud Charisium p. 122 K., de quo loco nobis alias disserendum erit.

[7]) Charis. p. 107. 120 K. Ritschl. de Plauti interpretibus § 7—9.

[8]) Keil. in praef. Pompeji p. 93. Schottmüll. l. l. p. 39 sqq. Neum. l. l. p. 20.

[9]) O. Jahn. in commentatione „üb. d. kunsturtheile d. Plinius“ in d. ber. d. k. s. ges. d. wiss. II. 1850. p. 114.

[10]) Wilman. l. l. p. 31 sqq. 78. 151.

in variis libris [1]) docuerat, collegisse et in usum suum convertisse suasit Wilmannsius l. l. p. 32. 34. Huc adde, quod grammaticis haud secus atque aliis permultis Varronis libris a re grammatica alienis ita usus est, ut ex eis verba, non doctrinam grammaticam excerperet, de qua Plinii ratione infra erit disserendum. Quos Verrii Flacci libros introspexerit Plinius, vix pro certo proponi potest, quum a Charisio vel Romano, cui Verriana omnia debemus, nusquam addita sit librorum ex quo desumpta sunt inscriptio, id quod sive brevitatis studio sive negligentia Plinii excerptorum factum esse arbitror. Verumtamen ex ratione horum frustulorum alia e libris „De orthographia“ [2]) alia e commentatione „De significatione verborum“ [3]) petita esse colligere licet. Porro quum G. Asinii Polionis oratoris clarissimi, quem peculiarem de grammatica librum edidisse non constat [4]), praecepto Charisius [5]) utatur ad quaestionem grammaticam disceptandam, hunc locum excerptum esse e Plinio, quem Asinii viri auctoritate pollentis orationibus eo tantum consilio usum esse apparet, ut ejus verbi exempli gratia proponeret, vix crediderim cf. Charis. p. 134. 146 K. Haupt. Opusc. I. p. 68 sqq. Bergk. (philol. XXIX. p. 329). Steup de Probis gramm. p. 70. Enimvero G. Valgii Rufi poetae libros „De rebus per epistolam quaesitis“ percensuit et grammaticas rationes ex eis delibavit teste Charisio p. 135. 143 K. [6]) E numero recentiorum grammaticorum, qui praeeunte Q. Caecilio Epirota Vergilio et „aliis poetis novis“ [7]) praecipue operam dabant, L. Annaeum Cornutum diligenter, ut opinor, adhibuit („Annaeus Cornutus ad Italicum de Vergil. l. X.“ Charis. p. 125 K., „Annaeus Cornutus in Maronis commentar. Aen. X.“ ibid. p. 127 K.) cf. Keil. gr. l. VII. p. 133 et Neum. (p. 20), qui nonnullos titulos Charisianos praeter illos, quos adscripsi, Plinio deberi et ab hoc ex Cornuti commentariis non libris orthographicis petitos esse probabilius suspicatus est.

Quosnam Julii Modesti grammatici, G. Julii Hygini liberti ac discipuli, libros excusserit noster [8]), utrum „Quaestiones confusas“ [9]) an Horatianorum carminum commentarios [10]), certo indicio non constat. Agmen claudit Pomponius Secundus tragoediarum scriptor, cujus epistola ad Thraseam data fonte grammatico usus esse videtur Plinius [11]). Quibus in auctoribus grammaticis recensendis hunc ordinem sequutus sum, ut diligenter pensitatis quae de temporum rationibus prolata sunt a viris doctis, suo quemque loco in indicem insererem. Haec de libris grammaticorum a Plinio pertractatis aliquanto fusius disseruisse haud alienum ab instituto visum est: neque vero de scriptoribus, ex quibus verborum exemplorumque copiam hausit, uberius tractare mihi in animo est, praesertim quum quem nacta fuerint ambitum haecce studia in tanta Plinianorum librorum strage ex minutis quae aetatem tulerunt frustis prorsus intelligi vix queat. Enimvero ea, quibus vetustas pepercit, copiosissimam observationum et exemplorum silvam e permultis iisque exquisitis auctoribus congessisse nostrum luculenter ostendunt: itaque ad rationem atque assiduitatem Plinii recte existiman-

[1]) Praeter libros de l. l. adhibuit „De sermone latino“ et „De utilitate sermonis“ libellos cf. Wilman. l. l.

[2]) Suet. d. ill. gr. c. 19. Charis. p. 106 K. et saepius.

[3]) C. O. Müller praef. ad Fest. Charis. p. 85 K. et alias.

[4]) Fortasse in libro, quo Sallustium de nimia priscorum verborum affectatione reprehendit, rationes grammaticas adhibuit.

[5]) Charis. p. 84 K.

[6]) Cf. Unger. de Valgii Rufi poematis. Schottmüll. l. l. p. 40, qui p. 135 Plinii nomen inserendum esse censuit. Neum. p. 27. Praeterea de Valgio videas, quae infra disputabimus.

[7]) Sueton. de ill. gramm. c. 16.

[8]) Charis. p. 73. 125 K. Quae praeterea extant Modesti reliquiae procul dubio Capro debentur. cf. Charis. p. 75. 101. 103. 204. K. Diomed. p. 365 K.

[9]) Gell. N. A. III. 9.

[10]) Vita Horat. in edit. Benlin. Basil. 1527.

[11]) Cf. Neum. p. 31 sqq. et quae paullo infra de Pomponio Secundo disseremus.

dam ne illa quidem quaestio, quo consilio unum alterumve scriptorem exscribendum sibi elegerit, prorsus negligenda videtur.

Sed antequam in id inquiramus, maxime nostra interest de philosophicis Plinii rationibus disserere, quas in divulgata illa controversia sequutus sit et num constanter ab alterutra steterit parte, quum quanti hae ad rem propositam sint aestimandae vix dici possit. Qua in re Varronis potissimum vestigiis institisse videtur, quem „naturam analogiam consuetudinem auctoritatem" tamquam fundamenta ac principia sermonis latini posuisse supra demonstravimus. „Naturam"[1]) semel tantum in dubii sermonis librorum reliquiis usurpat noster, „rationem" sive „analogiam" saepius[2]), saepissime „consuetudinem", cui addit Ciceroni ut opinor adstipulatus „suavitatem aurium"[3]). „Auctoritatem"[4]) raro in medio ponit, semel „veterum dignitatem"[5]), cui opponit „veterum licentiam"[5]). Jam quaenam constituerit de singulis, quid sit quod „naturam" „rationem" „consuetudinem" „auctoritatem" usurpaverit, in tanta fragminum ad hasce quaestiones spectantium penuria distinctius definiri nequit; Pliniana vero de his placita a Varronis doctrina, quae Diomedi debetur[6]), haud ita longe abesse facile mihi persuaserim: cf. Quintil. I. 6, quem Varronis sive Plinii vestigiis ingressum esse alio loco demonstrabimus.

Quantum vero analogiae tribuerit et quam rationem inter analogiam et consuetudinem statuendam censuerit, paucis sed diserte exponit Detlef. l. l. p. 697: utrique justa Plinium praebere judicat, sed ita, ut ex parte analogiam defendat, consuetudine sive veterum dignitate eam ex parte quoad licet coërceat. Hoc igitur praeeunte Secundum Varronis potius quam Caesaris[7]) sectatorem fuisse et vix constanter ab analogiae parte stetisse, sed hanc illis quodammodo conciliandam suscepisse existimaverim. Etenim quum haud ita paucas verborum formas, quas ab analogiae ratione abhorrere sibi persuasisset, quum consuetudine tum auctoritate defendi cognovisset plurimasque voces apud gravissimos scriptores duplici varioque modo traditas invenisset, tantum afuit, ut alteram formam immutare vel reicere auderet, ut utramque comprobaret et distinctius quomodo et qua in re altera uti debeant puri distinctique sermonis studiosi praeciperet: itaque fieri non potuit, quin nimio distinguendi studio ductus[8]) praecepta a prioribus grammaticis data quodammodo discerperet finibus nimis angustis circumsepta et quaesita tantummodo specie anologiae — nam ut *κανών* analogiam, ita *κανόνες* anomaliam prae se ferunt[9]) — auctoritatem maximaque ex parte veterum dignitatem saepissime in prima acie poneret. Sed non modo quid veterum dignitas commendaret, sed etiam quid recentiori mori conveniens esset vel neotericum, ut ait Servius ad Verg. Aen. XII. 605, perscrutabatur teste Charisio[10]). Nam grammatici quum iis, quae per saeculorum decursum aliis atque aliis scriptoribus usitata fuerant accuratissime observatis sermonem antiquitatis diversum fuisse a consuetudine sua aetate pervulgata animadvertissent[11]), singula diligentius, ut ex his de

---

1) Pompej. comment. art. Don. p. 283 K.: ceterum num haec genuina atque integra sint Plinii verba dubito; cf. Serv. comm. in Don. p. 444 K.

2) Charis. p. 79. 118. 120 K. et alias; „analogia" legitur ibid. p. 138 K.

3) Charis. p. 123 K.

4) Pompej. comm. art. Don. p. 144 K. Charis. p. 105 K.

5) ibid. p. 118 K.

6) Diomed. p. 439 K.

7) Cf. de G. Jul. Caes. gramm. p. 10.

8) videsis quae infra disseremus.

9) De G. Jul. Caes. gramm. l. l.

10) 134 K.

11) Cf. Keil. in praef. Charis. p. LIV.: „Valerius ait, consuetudinem antiquitatis etiam fuisse, ut paene alios

loquendi ratione judicarent atque praeciperent, componere et comparare coeperunt. Ac Plinius quidem tum grammaticos quos supra enumeravi tum permultos alios scriptores sub examen vocavit et subtilissime ut opinor, utrum uni plus minusve auctoritatis tribuendum esset an alteri perpendit. Scriptorum vero vetustiorum potissimum consuetudinem, de qua maxime Valerio Probo adstipulante quaesivit[1]), illa aetate, quae novis scriptoribus enixe operam dabat, neglectam tueri et civibus suis commendare studuit[2]). Neque vero recentiorum scriptorum gravitatem, de qua modo disseruimus, contempsisse videtur: etenim quae de Annaeo Cornuto et de Pomponio Secundo aequali eodemque familiari profert, eo consilio in medio ponit, ut collato cum vetere loquendi usu novorum scriptorum modo praesidia sibi quaerat. Jam vero ut auctoritatem gravissimis auctoribus sibi invicem adversantibus infractam confirmaret, cummaxime scriptores quum omni tum grammaticae artis laude ac studio conspicuos laudavit et ante prima signa ut ajunt posuit: id quod non modo ad Lucilium et Varronem, sed etiam ad Valgium Rufum et Pomponium Secundum pertinet, quorum ut praecepta in rebus grammaticis ita exempla in usu dicendi sequenda proposuisse videtur. Atque eandem fere rationem, opinor, sequutus verborum exempla e libris Ateii Philologi[3]) grammatici nobilissimi et scriptorum veterum litterate peritissimi delibavit: multum vero abest, ut praecepta dicendi a viro in hoc genere[4]) laudis excellentissimo data plane neglexisse Plinium putemus, quamquam in grammaticorum nostri auctorum indicem Capitonem omni dubitatione nequaquam sublata inserere noluimus. Praeterea saepius ea in gravitate atque auctoritate nititur Plinius, qua nomina rebus praeclare gestis ingenii acie facundia[5]) insignita valent florentque: sic facile est intellectu, qui factum sit, ut vel reconditas exquisitasque nobilissimorum virorum chartas nedum chartulas inspiceret atque excerperet; cf. Charis. p. 107 K. (G. Gracchus); ibid. p. 125 K. (Q. Hortensius); ibid. p. 77 K. (T. Labienus); ibid. p. 130 K. (M. Brutus); ibid. p. 123 K. (G. Cassius); ibid. p. 147 K. (G. Oppius); ibid. p. 129 K. (M. Valerius Messalla Corvinus)[6]); ibid. p. 134. 146 K. (Asinius Polio); ibid. p. 146 K. (Maecenas); ibid. p. 129 K. (Augustus). Propriam vero — ne quid praetermittam, quod huc spectet — et fere singularem in quibusdam rei grammaticae auctoribus eligendis rationem amplexus est. Etenim quum scriptores, qui de rebus naturalibus libros composuerunt, rarissime in testimonium a grammaticis vocari constet — id quod mirari sane non licet, quum qui de arte grammatica tradituri erant „non facile libros ad rerum naturam et animalia spectantes adirent“ — hoc in Plinium non cadit: qui in grammaticis quoque rebus eos, quos naturalium auctores rerum identidem adhibuit, auctoritatem habere voluit. Cf. Charis. p. 105. 142 K. (Fabianus „de animalibus“); p. 104. 146 K. (Fabianus „causarum naturalium“); p. 142 (Hyginus „de agricultura“); p. 102. 137. (Trogus „de animalibus“). Neum. l. l. p. 24. Consuetudinem denique „qua poetae utuntur“, ut ait Varro (de l. l. IX. p. 179 ed. Bip.), observasse et quibus ex rationibus orta ad diversas vocabulorum formas proferendas haec valuerit curiosius indagasse videtur noster: cf. Serv. ad Verg. Aen. II. 69. — Jam quum dedita opera quae grammaticorum regulis sive scriptorum auctoritate vixdum stabilita

sermones tunc dicat fuisse aliosque nunc. Sed . . . postera, inquit, aetas mundi ut disciplinam pristini saeculi ita et sermones fastidire coepit et nova parturire verba, quae juvenum ritu ipsa modo florent et vigent“ (= Diomed. p. 400 K.) et Plin. praef. N. H. l. l.

[1]) Suet. de ill. gramm. c. 24.

[2]) Charis. p. 104 K.

[3]) „An amaverit Didun Aeneas“ Charis. p. 127 K. et „Πινάκων“ ibid. p. 134 K. cf. Suet. de ill. gramm. c. 10.

[4]) Suet. de ill. gramm. c. 10. Festus s. v. „ocrem“.

[5]) Cf. Quintil. I. 6.

[6]) Nisi forte Messallam tamquam „latini sermonis diligentissimum observatorem“ adhibuisse putandus est. Cf. Seneca contr. XII. p. 175 et Quintil. I. 7.

communi usu et recentiorum licentia denuo infracta ac paene rejecta in dubio versari animadverterat, collegisset et in schedas rettulisset, illud potissimum opinor egit, ut quantum per latini sermonis conditionem licuit analogiae ratione habita dijudicaret atque disceptaret, ne quidquam in omni linguae ambitu dubitationi relinqueretur: cf. Quint. I. 6: „Ejus (analogiae) haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probentur, quod efficitur duplici via: comparatione similium in extremis maxime syllabis ... et diminutione“: quae Quintiliani ratio quadam ex parte concinit cum Pliniana quae Pompejo [1]) debetur hac: „quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem“. Nimirum saepius analogia in arctiorem gyrum compulsa noster, ut jam supra ostendimus, usui communi et auctoritati in verborum formis constituendis et a dubitatione removendis nimis indulsit: itaque fieri non potuit, quin permultis in regulis quum singularibus tum tenuissimis proponendis nimis subtili atque artificiosa disserendi ratione uteretur. Jam ob copiam satis magnam eorum, quae virorum eruditorum dissensione in dubium vocata ex schedis delibavit ac contulit, Plinium libros „dubii sermonis“ inscripsisse, quum in his dijudicandis maxime argumentum versetur, apparet: itaque non vereor ne ii, qui libros sic inscriptos esse a Plinio tantam vocum multitudinem quae post ipsius curas dubiae relictae sunt reputante censuerint, virorum doctorum plausum ferant. Quid sit omnino quod „dubium“ vocetur [2]), quamvis Plinium, quem philosophiae quippe cum arte grammatica conjunctissimae rationibus enixe operam navasse paullo infra disputabimus, more philosophorum generatim definivisse maxime sit consentaneum, tamen quum diserto fragmentorum testimonio in hac re destitutus sim, ita ut hoc probabilius nostro tribui possit, constituere non ausim. Accedit quod in hujuscemodi quaestionibus tractandis disserendi modo haud ita enucleato vel a nobis non satis perspecto usus est: sic enim constituisse videtur, ut quid dubium sit, tum quid non dubium, quid denique simile dubiis discerneret, cujus subtilioris doctrinae vestigia extant in titulis Charisiani capitis XVII. a Schottmüll. (l. l. p. 23. 35), Neumann. (l. l. p. 11. 18), Brambach. (l. l. p. 158 sqq.) summa cum probabilitate Plinio adjudicatis: cf. Charis. p. 141 K. s. v. pacium: „addubitari etiam nunc ait Plinius“; ibid. p. 121 K. sq. s. v. alacer: „si qua solent in nomen hominis transire, non sunt dubia“; ibid. p. 124 K. s. v. celebre: „simile dubiis est, ut sub littera a diximus“. Inter dubia referebat ea quae ad analogiae rationem nullo pacto revocari posse intellexisset, quum grammaticorum in auctoritate inniti nequiret, inprimis monosyllaba (cf. Charis. l. l.: „a. e. n. a. l., „quoniam nec finitionem ullam in monosyllabis“, inquit, „grammatici temptaverunt“; ibid. p. 138 K. s. v. osse: „monosyllaba extra analogian esse Plinius eodem libro VI scribit et addit eo magis consuetudinem in eo esse retinendam“) [3]), deinceps derivativa cf. Pomp. comm. art. Don. p. 144 K.: „in derivationibus sequere praecepta Plinii Secundi. Ait enim „debes quidem adquiescere regulis, sed in derivativis sequere auctoritatem“. Ait sic Caesar in libris analogiae, duae sunt Albae, alia ista quam novimus in Aricia et alia hic in Italia. Volentes Romani discretionem facere, istos Albanos dixerunt, illos Albenses“ ... Plinius Secundus negat et ait sic „indifferenter haec inveniuntur“, cf. Serv. ad Verg. Aen. IX. 706); num singulares porro voces [4]) vel vocum formas [5]) inter dubias rettulerit, certo indicio non constat, quum

[1]) Cf. Pompej. p. 146 K., qui Plinium e Varronis scriniis eam mutuatum esse tradit.

[2]) Stoici, qui ab anomaliae partibus stabant, de linguae „ἀμφιβολία“ quaerentes hanc non modo ad vocum significationem, sed etiam ad earum formam valere ideoque quamque vocem dubiam esse censuerunt. cf. Gell. XI, 12.

[3]) Cf. Charis. p. 124 K. s. v. cervicium. E recentiorum grammaticorum numero Plinii argumentum amplexi sunt Servius (ad Verg. Aen. III. 91. VI. 792) et Marcianus Capella (III. § 289. 303).

[4]) Cf. Quintil. l. l.: „ea quae sunt e singulis negantur debere rationem“.

[5]) Utrum hac Plinii studia in orthographia collocata, quae ut ait Quintilianus (I. 7) totam subtilitatem in dubiis habet, referenda sint necne haesito.

titulus „ruris" e Plinio haustus, quo de toto hoc genere egisse videtur, tam male exscriptus et tam misere mutilatus sit, ut omnia fere divinationi relinquantur: cf. Charis. p. 142 K. et 139 K. s. v. orbi. Denique quum a grammaticis dubia vocarentur, „quae nulla ratione cogente auctoritas veterum diverso genere protulit"[1], de generibus quoque dubiis, ut ex fragmentis hujus doctrinae apud Charisium et Priscianum servatis apparet, quaestiones instituit[2]. Deinceps ea, quae analogiae auctoritatis consuetudinis consensu defendi videbantur, „non dubia" esse censuit: cf. Charis. p. 142 s. v. „rure". Postremo „similia dubiis" ita, opinor, definivit, ut vocabula, quae duplices variasque formas ideoque anomaliae rationem proderent, sin ita ut diversa significarent et in aliam transirent orationis partem proferrentur, certissimam analogiae ostentarent normam complecteretur[3]: qua in re ut anomaliam angustioribus finibus circumscriberet reconditiorem et subtiliorem in verbis discernendis partibusque[4] orationis ordinandis modum adhibuisse videtur[5].

Sic ad similia quoque dubiis analogiae ac rationis vim valere et ambitum artificiosiore disserendi modo usus ostendit Plinius. Sed multum aberat, ut de eis, quae dubia esse censuit, omnino non dijudicaret: namque quum „ad utilitatem potissimum spectet, ut diversae significationis verba discreta sint sono ac forma, quo quum aperta fiat oratio"[6], utilitatis, cui summopere studuit, ut ipsius verba testantur[7], quaestione in medium prolata certis distinctionibus quippe ad usum ac perspicuitatem sermonis utilissimis opus esse existimavit. Itaque ad notionum et vocabulorum varietatem accurate annotandam et diversis formis discernendam diligentius animum advertit, cujus curae specimina in frustulis satis multa deprehendere licet. Atque auctoritate quidem scriptorum et consuetudine in dubiis verborum formis defendendis et constituendis innixus est: id quod Charisii et Pompeji locis, quos supra adscripsimus, satis luculenter apparet. Itaque summa propositi constantia efficere studuit, ut dubitatione ex omni sermonis circuitu remota certa dicendi scribendique norma omni numero expleta omnique ratione confirmata civibus suis sequenda in propatulo sit.

Jam ad gravissimum ipsius Plinii de libris grammaticis testimonium, unde profecti de ratione temporis, quo libri conscripti sint, praeeunte Neum. disputavimus, revertamur, ut quaestio de Pliniani operis consilio atque argumento proposita quoad per penuriam reliquorum qui etiamnunc ma-

---

[1]) Cf. Priscian. 141 H.

[2]) Cf. Charis. p. 77. 105 K. Prisc. p. 233. 262 H.

[3]) Cf. Charis p. 124 K, s. v. „celebre".

[4]) Cf. Diomed. p. 322 K.: „Sunt item propria et appellativa" e. q. s.

[5]) De hac Plinii doctrina melius judicaremus, si clarius regulas ab eo de III declinationis ablativo singulari datas perspecta haberemus: de quibus etiam post Brambachii (l. l. p. 158 sqq.) curas cummaxime laboramus. Aditum vero ad hanc quaestionem parare licebit, ni fallor, iis quae apud Dionysium Thracem (§ 13) Diomedem (p. 322 sqq. K.), Donatum (p. 373 K.) leguntur diligentius pensitatis. Equidem Plinium regulas ita conformasse censuerim, ut altera ex parte nomina propria (Charis. p. 124. 127. 130. 136. 138. 142. 144. 146 K.), appellationes („commune": Charis. p. 121. 124. 130 K. = „communiter" apud Diomed. l. l.; „generaliter": Charis. p. 130 K. „generale" = „generaliter" apud Diomed l. l.; „negotium": Charis. p. 124. 130. 146 K. = „πρᾶγμα" apud Dionys. l. l.), vocabula Charis. p. 124 K. („res": Charis. p. 120. 124 K. et saepius = „res inanimales" apud Diomed. p. 320 K., cf. Charis. p. 120 K.: „animali"), altera ex parte voces quae similem et quae dissimilem nominativo habent genetivum distingueret (ibid. p. 120 K.). „Κανόνας" sic ordinatos, si quid video, inter „dubia" „non dubia" et „similia dubiis" distribuit.

[6]) De G. J. Caes. gramm. p. 10. cf. Varro d. l. l. VII. p. 110 (Bip.).

[7]) Cf. praef. N. H. § 16: „Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse qui difficultatibus victis utilitatem juvandi praetulerint gratiae placendi idque jam et in aliis (i. e. grammaticis) operibus ipse feci.

nant fonticulorum licebit absolvatur. Quae obiter tantum et quasi praetereundo de philosophorum placita sua impugnantium disputationibus litigiosis inseruit, ea ad rem nostram exequendam permagni sunt aestimanda: nam in libellis nostris philosophicas quasdam rationes latius patuisse, quam ex fragmentis hac aetate superstitibus apparet, luculenter ostendunt. Jam quum et Dialecticos[1]) et Epicureos[2]) generatim de lingua disseruisse constet, quid ex unius alteriusve scholae praeceptis percensendum atque oppugnandum sibi sumpserit — nam de omni Clitomachi et Epicuri sectatorum disciplina non egisse nostrum omnino est consentaneum — exquirere nostra maxime interest. Atque Epicurum quidem ejusque discipulos artis grammaticae studium nequaquam neglexisse et inprimis de linguae vocisque natura quaestiones instituisse quum ex veterum testimoniis modo allatis tum ex eis quae Lucretius[3]) et Proclus[4]) exhibent elucet; verum tamen quominus qua potissimum de causa suborta sit inter Epicuri asseclas et Plinium dissensio perspiciamus reliquiarum doctrinae officit egestas Plinianae. Melius vero res nostrae se habent transducta disputatione ad Dialecticorum placita a Plinio in judicium vocata: etenim quamvis fragmentorum ita comparatorum ut diserte hoc eloquantur subsidio careamus, Secundum Clitomachi ejusque familiae de partibus orationis disciplinam impugnavisse mihi persuasissimum est: quae ratiocinatio confirmatur eo, quod indidem ortam esse Stoicorum Pliniique controversiam constat, quos de illo ipso grammaticae loco contendisse summa cum probabilitate paullo infra disputabimus. Nam quum necesse esset — id quod totius operis consilium flagitabat — ut de partibus orationis discernendis et definiendis ageretur, Plinius de re proposita ita exposuisse videtur, ut philosophorum in his Dialecticorum qui teste Prisciano (l. l.) duas orationis partes, nomen et verbum, statuebant placita deinceps persequeretur et refellere moliretur. At ne haec quidem pro certissimis vendere licebit: itaque missis Dialecticis ut a dubiis et obscuris ad certa vel probabilia transeamus in rationem quae inter Stoicos et nostrum intercesserit curiosius inquiramus. Qua de re inter reliquias Plinianas occurrunt apud quosdam inferioris aevi scriptores testimonia haec: Pomp. comm. art. Donat. p. 201 K. „Plinius Secundus notavit grammaticos in hac definitione, non notavit imperitiae, sed inertiae ad loquendum. Est subtile aliquid, legimus apud eos qui scripserunt de argumentis, quod non idem est quod accidit, et idem est cui accidit, longe diversum est . . . Da finita pronomina. Ego tu ille. Da personas. Ego tu ille. Ecce eaedem sunt personae, eadem sunt finita pronomina . . . Si ipsae sunt personae [eadem sunt], quae sunt finita pronomina, ergo ecce incipit contingere ut unum sit quod accidit et cui accidit; quod non potest fieri per rerum naturam". Cledon. p. 49 K.: „Plinius artigraphos dicentes pronominibus finitis accidere personas reprehendit; tunc enim bene diceretur, si aliud esset pronomen finitum, aliud persona. Non enim una res potest esse quae accidit et cui accidit. Ergo melius ita dicendum est, ait, eadem esse finita pronomina quae sunt etiam personae". Novum Plinii de hac re fragmentum nuper deprehendit Hermannus Hagen in arte anonyma Bernensi (Anecd. Helvet. p. 135). cujus verba e praefatione (p. LXXXV sqq.) desumpta huc describam: „rite a Plinio Secundo grammatico initium capimus, cujus locus praeclarus de pronominibus finitis extat p. 135, 1—8, quo medio quasi sole superfuso illustrari vides, quae a Cledonio . . non nisi strictim significata, a Pompejo vero . . satis obscure enarrata sunt, ut quid Plinius ipse voluisset, recte intelligi nequiret". Leguntur vero in arte anonyma Bern. haec: „Plinius ipse[5]) dixit: sed scire debemus hujusmodi

[1]) Diog. Laert. prooem. 13 et II, 10. Priscian. p. 54 H. Plutarch. quaest. Plat. X. Lersch. l. l. p. 46 sqq.
[2]) Anecd. Oxon. IV. p. 317. Theodos. Alex. p. 13 (ed. Goettl.).
[3]) V. 1027 sqq.
[4]) Procl. schol. ad Cratyl. p. 6. 9.
[5]) Ne Plinii argumenta satis levidensia putemus, monet nos illud, quod is locus vix integer et ita, ut om-

definitores non tam in ratione errare, quam in ordine verborum, ut dicerent personas pronominibus accidere, cum dicere debuissent, finita pronomina non recipere quasi aliunde personas. Numquam enim inveniuntur sine personis accidentia". Quibus in locis etsi Stoicorum omnino mentio facta est nulla, tamen e Stoica disciplina hanc finitorum et infinitorum distinctionem ortam esse pronominum testimoniis veterum grammaticorum etiam levius inspectis quis est qui neget? Cf. Priscian. p. 54 H.: „Secundum Stoicos vero quinque sunt ejus partes: nomen, appellatio, verbum, pronomen sive articulus, conjunctio .... articulis autem pronomina connumerantes finitos ea articulos appellabant, ipsos autem articulos, quibus nos caremus, infinitos articulos dicebant vel, ut alii dicunt, articulos connumerabant pronominibus et articularia eos pronomina vocabant, in quo illos adhuc sequimur Latini, quamvis integros in nostra non invenimus articulos lingua". ibid. p. 548 H.: „Stoici enim quomodo articulum et pronomen unam partem orationis accipiebant, infinitum articulum vocantes, quem grammatici articulum .... (finitum autem articulum dicebant idem Stoici, quod nunc pronomen vocamus finitum, quod et vera ratione solum pronomen est dicendum. Ergo Romani quoque artium scriptores Stoicorum sequuti magis traditionem pronomina finita dixerunt et infinita, nam articulos non habent) [1]. Jam quamnam rationem sive philosophicam sive grammaticam sequutus noster Chrysippi sectatorum, quorum vestigiis Romanos inprimis Varronem ingressos esse accepimus, doctrinam sub examen vocandam et refellendam susceperit, vix pro certo vel verisimili proponi poterit: pendet vero ab hac disputatione procul dubio illud, quod Plinio tribuit Probus (p. 133 K.): „sane hoc monemus, quod Plinius Secundus hic tunc voluit dici pronomen, quando solum reperitur declinari, ut puta hic hujus et cetera sequentia; at vero si cum alia parte orationis inveniatur declinari, articulum appellari, ut puta hic Cato hujus Catonis et cetera sequentia. Sed haec discretio a Plinio Secundo cunctis artis latoribus supervacue visa est constitui, si quidem omnis oratio octo partibus tantum instituta sit pronuntiari" [2]. Dixerit forsitan quispiam, a ratione et argumento dubii sermonis librorum hujuscemodi de partibus orationis disputationes longissime abesse ideoque haec e conjectura hausta et diserto veterum testimonio haudquaquam confirmata nostro verisimilius tribui non posse. At veteres etiam posterioris aetatis grammaticos de partibus orationis agentes de pronominibus potissimum quaestiones instituisse et ex numero eorum haec inter „dubia", illa inter „indubitabilia" rettulisse testificatur Priscianus, qui exhibet (Partit. XII vers. Aeneid p. 501 H.) haec: „ Quae sunt dubia? Quae stoici quidem antiquissimi inter articulos . . ponebant, Romani autem inter pronomina infinita vel interrogativa vel relativa vel redditiva, Dionysius vero et Apollonius et Herodianus rationabiliter inter nomina". Quum in hoc quoque loco et Stoicorum et horum de pronominibus doctrinae mentio fiat, Plinium de orationis partium inprimis pronominum distinctione et definitione familiarum contentionibus in dubium vocata ita, ut Stoicis et si probe argumentatus sum Dialecticis adversatus utriusque scholae ratiocinationes infringere conaretur, tractavisse summa cum verisimilitudine statuerim; quod cum argumento dubii sermonis librorum apte congruere unusquisque videt.

---

nem nostri rationem complecteretur, translatus est e Plinio ab artis auctore, id quod pluribus inter utrumque scriptoribus intercedentibus sane non est mirum.

[1]) „Finitus" = „ὡρισμένος", „infinitus" = „ἀοριστώδης" cf. Apollon. de pron. p. 264 (Wolf); de construct. I, 34; sed vereor, ne quodammodo Romanorum grammaticorum doctrina a primaria Stoicorum, quam in horum inventis alius alium deprehendisse sensum sibi visus sit, ratione abhorreat.

[2]) Quo Probi loco fretus Osannus (Anal. litt. II, p. 178) Plinium novem orationis partes statuisse verisimile ducit; sed eis, quae supra de „appellatione" et „vocabulo" ad praeceptum conformandum adhibitis disputavimus, pensitatis viro de re grammatica optime merito suffragari non ausim.

Haec de Plinii et philosophorum controversia generatim tantum et obiter disputata sunto: etenim quum neque libri de Graecorum philosophorum re grammatica a viris doctis conscripti*), quibus inspectis mihi ad hasce quaestiones aliquanto curiosius atque plenius retractandas subsidia futura esse arbitrabar, prae manibus essent neque his quos significavi libris etiam illico suppeditatis tantum temporis, ut totam rem absolverem superesse intellegerem, vix extrema quasi lineamenta ducenda, plurima futurae disquisitioni relinquenda existimavi.

Restat ut quid dotis litteratae habuerint dubii sermonis libri brevi exponam. Jam quemadmodum Plinium intento ad permultas res, sive ad historiam litterarum et artium sive ad naturam spectent, animo singula diligentissime componere atque ex his acutissime judicare consuesse in confessis est, sic in rebus grammaticis tractandis eum eandem fere rationem adhibuisse apparet. Itaque libellos nostros monumentis naturalium rerum ac disciplinarum, quae argumenti amplitudine et varietate insignita in propatulo frequentique usu feruntur, quodammodo exaequari idcircoque opus utrumque eodem numero habendum esse censuerim: tanta ingenii ubertate tantaque industria in plurimarum et grammaticarum et naturalium rerum scitu dignissimarum investigatione versatus est. Reliquias etiamsi tantummodo spectes ex ingenti naufragio servatas, quum vel has satis largam observationum et exemplorum copiam complecti appareat, doctissimis et diligentissimis accensendum esse Plinium argentei aevi grammaticis facile confitebimur: quantam ergo fecerit jacturam Pliniani operis labe grammaticae latinae explicatio historica vix dici potest. Accedit, quod in tanta grammaticorum ejus aevi librorum strage solus fere evasit Plinius, cujus reliquiae non modo nomen auctoris, sed etiam disciplinae summam conservarunt, ut aliquanto clarius dignosci haec atque perspici queat, quod recte monuit Gustavus Detlefsen. l. l. p. 714. Porro facile est intellectu, qui factum sit, ut vel inprimis posterioris aetatis artium scriptores Plinii opus summa admiratione prosequerentur, quod eis pro fonte, ex quo doctas de vetustiorum auctorum loquendi usu observationes hauriebant, quae ad indagandas latinae linguae rationes historicas maximi evaserunt momenti, ac thesauro fuisse ultro apparet. Itaque mirari sane licet, quod Brambachius (l. l. p. 37 sqq.) auctoritate Probi Plinii nomen obumbratum esse et nimis subtilem nostri et artificiosum discernendi ac definiendi modum ab usus cotidiani simplicitate alienum eo, ut copia verborum a Secundo congesta in artes non reciperetur, valuisse judicat. Qua de re fortasse alio loco fusius erit dicendum: namque vereor ne haec nimia subtilitate ipse sit rimatus vir de studiis grammaticis atque orthographicis optime meritus. Quid? quod Plinianae disciplinae auctoritatem saepius gravissimos vel omnes grammaticos artisque latores sequutos esse confitetur (l. l. p. 151. 172. 191 et passim). Praeterea non est dubium, quin grammatici complures qui eruditiore doctrina instructi rem suam tractaverunt permulta eaque quae uberioris atque antiquioris prae se ferunt eruditionis vestigia, quamvis auctoris nomen non sit adscriptum, e Plinianis mutuati sint scriniis.

---

*) Cf. Classen. (de gram. gr. primord.), R. Schmidt. (Stoicorum gram.), Prantl. (geschichte d. logik), Steinthal. (geschichte d. sprachwissensch. bei d. griech. u. röm.), alios.

Mi[illegible]woch, den 21. März, Vor[illegible] 10 Uhr

[illegible] des Gebäudes [illegible]